


modò reficiuntur, ac multos alios uobis similiter spiritum aſumere ue-
re ac recte uite ad incrementum atq; multiplicitem filiorum dile-
ctorum uere matris, ac efficiat uos pariter nobiſcum in Eccleſie
domo eiſdem profeſſionibus atq; moribus gaudentes uno ore cordeq;
hunc ipſum collaudare in ſecula ſeculorum AMEN.

Ad certitudinem atq; cautionem omnium, ad quos præſentes per-
uenerint, ſigillo conſueto imaginis DEI noſtri IEſu CHRISTI
Deigenitricisq; ſue matris, in cera lazurea impreſſæ, in buxo ligno
cauato pendentem ſub margine per ſericum funiculum paonagium
muniri, nec non ſubſcriptionibus noſtris potiſſimorum corroborari
uolumus. Datum die XV III. Ianuarij M. CCCC. quinquageſimo
primo. Indictionis XV.



GEORGII CAROLI- DAE PRAGENI EPIGRAMMA- TVM LIBER PRIMVS.

✠(***)*✠



AVTOR LECTORI

S. D.

Si qua videbuntur noſtro vitioſa libello
Carmina, quàm damnes, bis r. legenda puto.
(Dura quidem ſunt hæc, quid enim manifeſta negemus?
Mollia, ſi relegas dura, futura tamen)
Luſimus hæc magnos inter meditata labores,
Dum nec iudicium, nec mora longa fuit.
Sed veluti creſcunt animi, creſcentibus ætatis,
Majora & majus corpora robur habent:
Sic meliora tibi ſuperante ætate daturi,
Hæc ubi viderimus parua probata, ſumus.
His igitur, Lector, vel parce, vel adde lituras,
Dum tua nobilius Muſa parârit opus.

P R A G E

Typis M. Danielis Adami
à Weſſlauina.

Anno M. D. XCI.




AMPLISSIMO PRV.
DENTISSIMOQ. INCLITAE PISE-
CENSIS REIPUBLICÆ SENATVI,

DŌMINIS ET PATRONIS DE
SCHOLA SEQVE IP SO OPTIME MERITIS,
AMORE ET OBSERVANTIA
DIGNISSIMIS.

GEORGIUS CAROLIDES PRA-
GENVS LV DIRECTOR

HOC SUARUM LUCUBRATIO-
NVM COMPENDIVM VOVET,
CONSECRAT, NVN-
CV PATQVE.



1997 KK 69
AKC. 16/4

PISCAE VRBIS TOPOGRAPHIA.

Pisca antiqua situ, triplicis quam machina muri
Ambit & irriguis Vataua flexus aquis.

Pons decorat duro Bojorum marmore structus,
Consuetudo ornat moris auita boni.

Omnia relligio superat, quæ prompta superni
Ore Patris, veras ciuibus addit opes.

Victorinus Alethinus Vodnianus.

Virtute Asequor Virtutem.

Otia nil pariunt, vita est ingloria tardis;

Cingit & ignaum nulla corona caput:

Virtutem labor asequitur, comes illa laboris;

Et labor est virtus, & pia vita labor.

Ergo recedat iners; in Chenice figere sedem

Nos virtus vetat, & dulce laboris onus:

SYMBOLVM DN. SAMVELIS

Ladirii Montani.

Spes Mea Logos.

Sæpe solent falli, qui spem mortalibus addunt,

Spes nihil est, ni sit, quod gerit illa, ratum.

At Mea Spes Logos æternum, quæ fallere nescit;

Hæc ego post mortis fata superstes ero.

ANAGRAMMATISMVS

eiusdem Symboli.

Spes ago solem.

A ij

Sol

SOL alias splendens, alias obscurior exit,
Nec certum flammæ nouit habere modum.
Spes ita, credentes nunc ad sublimia tollit,
Nunc solo pastos nomine mergit aquis.
Errat in humanis rebus, nec firma morari,
Nec certum errandi nouit habere modum.

GENEALOGIA DN. SAMVELIS

Ladirii Montani, ejusq. liberorum, ver-
sibus numeralibus comprehensa.

Samuel Ladirius Montanus nascitur, anno

EDitVs In VitaM noVVs VrbIs InaVgVror hospes
in Academiam venit

Post stVDIo Pragæ teMpLa sVperba peto.

Pisnensi Scholæ præficitur: & titulo Baccalaureatus ornatur,

Pisnensi LVDopra sVM, LAVro reDIMItVs,

Uxorem Dorotheam ducit

AtqVarta Mali Dorothea Læta Venit.

Ex illa suscipit Iohannem primogenitum.

Ipsæ Pater Lætor, Mater nato Ipsa Iohanne,

Bls FebrVo Denas, bls ter agente Vlas.

Secundum Thobiam.

ProLe beor: natVs Thoblas eXIt ad orbeM:

Iohannes Ladirius Pater Samuelis moritur.

(ScD FebrVVs PatreM bVsta sVbaLta refert)

Tertiam Catharinam, post cujus partum mater Dorothea moritur.

In VitaM Katharina Venit, Dorothea LigatVr
Paulo post Filia sequente.

FVnere, DVM terras Gnata soLVta sVglt.

Secundam uxorem Christinam ducit.

DVCta VICes ornat LeCtI ChrIstI na seCVnDI,

Ex illa Nicolaum suscipit.

NICoLaVMqVere Cens, naCta, pVeLLa VoCat.

(Catharina Samuelis Ladirii mater moritur.

Interea genitrix, qVæ nos Vltæ eXpLICat VSV

E XIVta aD CœLos VeCta reDVClit Iter)

Ex eadem Samuelem: qui moritur.

InDe eXIt SaMVeL Vltæ, qVI sVnere raptVs

In festo sVperæ reDDIDIT ora pLagæ.

Annam Filiam superstitem.

Anna MhI sVperat sLVIDas Innata sVbaVras,

Inque animos matris sola superstes abit.

Fabianum,

Matre sâtVs rIDes argVto Fabiane VVLtV

qui moritur.

Mors VIVo eXsILiens seD sVabVsta parat.

Paulum,

PaVLVs aDest, VtI naM seros Ita VIVat in annos,

qui moritur.

SeD frVstra petIs heV, LeX IVbet æqVa MorI.

Ludmillam, quæ eodem anno moritur.

Orsa sVlt VitaM LiDa VnoqVe haVsIt in anno,

Aliam ejusdem nominis quæ subsequente anno moritur.
Q Væ LIDA InseqVltVr noMInls hVIVs, oblt.

Iosephum

Sors eaDeM InfeLIX pVero VIX nota Iosepho
qui moritur.

EXsangVes tVLerat, DVra, seVera ManVs.

Samuelem

ArgVtas SaMVeL natVs sVrreXIt aD aVras

Quinque & vicens Iulio agente dies.

& Wenceslaum utrumq; hactenus superstitem.

BlS IVbar OCTobrls septenVM LVCIs In æthra

IntVLerat CVnas VenCesILae tibi.

Hæc tua progenies, Samuel; hæc carmina nostra:

Vitam des illis, huic dabit ipse DEVS.

Annus sublati in turrim Nicolai Ladirii Pisceni.

VICeno AVgVstVs LVgVbrlqVe eXIt ab ortV

NICoLaVM PlsCæ tVrrls VtaLta tVLIt.

Sustulit incolumem, divino numine vectum,

His dira implicitum sed ratione malis.

Quem, DEVS, infantem per tanta pericula saluum

Esse finis, juveni quid tua dextra neget?

Noticiam ile tui, sacrâsq; fideliter artes,

Norica Gymnasii, sunt ubi tecta, colit.

Illi ades ergo DEVS, tua quó benefacta rependat,

Et gravibus raptum se sciat esse malis.

PETRVS PISTORIVS PISCENVS.

Pietatis

Pietatis Perenne Præmium.

Sicut ab æternâ pietas fluit inclita mente,

Sic sua perpetuæ præmia stirpis habet.

Qui pius est, æterna manent hunc præmia vitæ:

Diues in æternum, si modò pauper, erit.

NICOLAUS COLAVSSEK PISCENVS

Negligentiæ Comes Paupertas.

Horrida ne seris paupertas accidat annis,

Et DEVS, & solers auferet ista labor.

VICTORINUS SSVANTLE PISCENVS

Victor Sed Patiens.

Victor ut evadas, patiente resistito duris

Mente malis, patiens per mala victor eris.

Cede repugnanti, téq; ipsum vincito primùm,

Adde moram rebus, tempore vince moras.

Sic etiam longo sanatur tempore vulnus,

Sic mala, qui patitur, vincere bina solet.

VICTORINVS LAVRINVS

Vita Labilis.

Rebus in humanis nihil est durabile, vita

Labilis in morem præcipitantis aquæ.

Vis igitur seros ætatis cernere soles,

Esto pius: Venerem, jurgia, vina, fuge.

VENCESLAUS SOPHRONIDES CVRIVS.

A iij

Unica Spes Christus.

VNica Spes Christus, via, gloria, vita piorum,
Prævalet immensas totius orbis opes.
Hunc ego possideo: spe vitam duco beatam:
Post illum nolim totius orbis opes.

BARPTOLOMAEVS TVRENSKI

Anagrammatismus.

Opes librorum ut sanctæ.

Liberum menti rapiunt vigorem,
Et premunt cassos ratione sensus,
Quas parens rerum grauido ministrat
Vbere gazas.

Viuidum mentis recreant vigorem,
Præditos firmant ratione sensus
Sacra, quos castæ peperere Musæ
Numina libros.

Has opes ergo reputare sanctas
Nil vetat, quarum rationis usus
Nititur fulcro, releuatq; fessas
Pondere vires.

IDEM BREVIUS.

SI quid ab humanæ mentis proficiscitur usu,
Innexum scriptis omne libellus habet.
VT SANCTÆ LIBRORVM igitur congesta supellex
Dum iuuat, à doctis possideatur, **O P E S.**

Iohannis

IOHANNIS TVRENSKI PATRIS

Barptolomæi &c. Epitaphium.

IAnc CaDIs, senos ter qVanDo IVnlVS ortVs
AttVLIt, & CœLI Castra IVperna CoLLIs.
Amisit magno te patria nostra dolore,
Nam fueras oneri firma columna suo.
Excepit magno te cœlica Curia plausu,
Namq; suo accedis gloria magna choro.
Hæreo, num doleam magis, an tibi grater adempto?
Non lachrimas, plausus vita beata mouet.
Sed tibi gratandum est; qui alto mortalia cœlo
Despicias, & vultus concinis ante DEI.
Nos premimur duris, quæ sunt mala plurima, rebus,
Et tecum optamus sorte perenne frui.

IOHANNES CAVTVS SVTICENSIS.

IEHOVA. Credentium Salus.

In Christo Sperandum.

Certa salus illis Iovæ qui iussa sequuntur,
Et veram, mundo quam dedit ille, fidem.
Sperandum est igitur; viuis spes unica Christus,
Qui non sperantes deseruisse potest.

IOHANNES CAUTUS SVTICENSIS.

Anagrammatismus.

In Casu sit vitæ consensus.

B

Vt

VT sapiat pietas priscum renouata nitorem,
Præstat consensus vitæ;
Vt Scholicis sacræ doceantur in ædibus artes,
Præstat consensus vitæ;
Vt reprimat fluctus saluo Respublica portu,
Præstat consensus vitæ;
Vt superes duos inter discrimina casus,
Præstat consensus vitæ;
Vt multos conjunx numeret cum conjuge soles,
Præstat consensus vitæ.
Vt felix igitur viuas, & nomine dignus,
Consensum colito vitæ.

PRO NATALI D. IOHANNIS CAUTI.

Festa dies rediit, Baptistæ sacra Iohanni;
Hac Domino laudes, musica turba, damus.
Tu quoq; Iohannis pulchro qui nomine gaudes,
Nobiscum celebres voce sonante Deum.

MARTINVS HAVSKA PISCENVS.

Mors Horrida Peccanti.

Horrida peccanti ceu mortis oberrat imago;
Læta pio vitam sic parat illa novam.

IOHANNES DRIMONIVS PRAGEN.

In Deo Prosperitas.

Prosperitas nulla est, humanis fidere rebus;
Vis tibi succedant prospera, fide DEO.

MATHIAS CANTOR.

Medio Contentus.

Infamam sortem graue sustinere;
Et parum tutum tolerare summam;
Sorte contentus inedia superbas
Sperno cathedras.

IOHANNES VVYZRALIUS PISCENUS

In Utrumq; Paratus.

Pra fides nobis, animusq; in utrumq; paratus
Et duræ & placidæ vincere sortis onus.

PAULUS FALCO PISCENUS.

Præsens Futura Perpendo.

Elatus quisquis præsentibus uteris annis,
Vltima dissimili noueris ire gradu.

Non eadem cunctis errat Fortuna diebus,
Si te hodierna leuat, crastina merget aquis.

Qui præsens flores, venturæ prospice sorti,
Vt tibi præsentis nota futura cadant.

His ego præsentis studiis dimetior annos,
Demam venturis quò mea terga malis.

VITVS KAZATELIK HOSTONINUS.

Vita Ceu Harmonia.

Vita hominum varia est, certo tamen ordine debet
Ire, velut iunctis vocibus harmonia.

Id quoties tremulá summum cáno voce Iehouam
Expendo, ut doctam Musicus harmoniam.

IOHANNES SILVANUS.

Iusté Sobrié.

Iusta peto, Iustum veneror, iusto ordine viuo,
Sobrius in medio sæpe recumbo mero.

Contentus propriis alienos specto labores,
Nec tamen abijcio quod mea tecta subit.

Seu mala sint, seu sint bona, seu mediocria, grata
Accipio, & placidá singula mente fero.

ADAMVS MORAVECIVS GVTTEBERGENVS.
Ardua Merentur Gloriam.

Non animos segnes, non inertia pectora spectet
Gloria, sed passos ardua, fida manet.

ANIMAE POSSESSIO PATIENTIA.

Possidet humanæ vires patientia, vitæ
Aspera si cupias vincere, disce pati.

VENCESLAVS POLLIVS STRACONICENVVS.
Vive Prudenter, Sobrié.

Vt tuæ seros videas senectæ
Providus soles, animo quietus
Viue prudenter, sobriúsque vanas
Despice curas.

bi

SACER-

SACERDOS IOHANNES TRIBVLETIVS.
Sapientæ Initium Timor.

Ipsa Deus cum sit sapientia, qui timet ipsum
Vt sapiat, veri cepta saporis habet.
Vana tumescentes animos sapientia ludit,
Quóve magis sapiunt, hoc mage desipiunt.
Vis igitur rectam sapiendi agnoscere normam
Illius fontem suscipe, polce, time.

SACERDOS SIMEON CERASINVS.
Anagrammatismus.

De sacris sacro nomen IESVS.

Non mihi sacra placent, quæ non sunt sacra: Iehova
Quæ sacrat, hæc sacro nomine sacra puto.
De sacris igitur sacrosanctum nomen IESVS:
Quod reliquum; fieri ventris amore solet.

MARTINVS SILVANVS.
Anagrammatismus.

Ars alit sinu munus.

Ars habet in facie durum depicta rigorem,
Sed fovet in medio munera larga sinu.
Vince artis rigidos constanti mente labores,
Vt medio carpas munera larga sinu.

SACERDOS IOHANNES CVCELIVS
Piscenus.

B iij

Lex

L Ex m. hi mors, Euangelium noua vita putatur:
Hoc uiuo, hac morior: cetera credo DEO.

GEORGIUS CAROLIDES PRAGENUS.

R Em, decus & vitam, vitæq; negotia Christo
Credo; sinu reliquum spes foveat alma suo.

MANV MISSIO MARTINI STOLINSKY
Zvolenioveseni.

L ibertas Martine tibi Data Venit, Vt astra
Bis septeno ortus Febr. V. V. axe rotat.

SENTENTIAE ALIQVOT.

Dei negotia.

D eprimat elatos, depressos collit in altum
Iupiter, & rerum versat in orbe vices.

Virtutis studiosus.

Difficile est factu; virtutis ut æmulus hostes
Effugiat, doctos invida tela petunt.

Lapsus.

Bis labi in facto non est sapientis eodem,
Hoc faciunt, nimium qui rationis habent.

Aurum.

Quæ neq; vi poteris, neq; duro vincere ferro;
Pugna auro, cedent protinus illa tibi.

Regula morum.

Inferior

Inferior meritos majori defer honores,
Sis pius, & placide munus obito tuum:
Concordem exerce vitam, fuge iurgia, nullum
Despice, & à superis præmia certa feres.

IN MANVS TVAS DOMINE &c.

H Anc animam corpûsq; meum, vitâmq; caducam
Commendo manibus, Christe benigne, tuis:
Tu me damnandum tetro de carcere mortis
Eripis, & cœli ad regna paterna vocas.

INFERIAE VENCESLAO MORA-
WECIO GVTTENBERGENO, SVB PERSO-
na fratris majoris natu Adami, à Georgio Ca-
rolide Prageno solute.

E T merito? quis enim tantos superare dolores?
Aut quisnam iustis temperet à lacrimis?
Mitis ab emitti sublatu numine frater
Nostra jubet pullam tangere plectra chelym:
Tangere, & exstincto cineri præstare supremum,
Dum nihil est reliqui, funeris officium.
Sed quid agam? qua voce utar? qua sacra vocabo?
An superest auris questibus ulla meis?
Iure querar, Parcsq; dicam ad pia numina dicam,
Quot dure afficiant tempora nostra malis?
Eripiunt patriâ natos vitalibus auris,
Perniciem vero, pondera vana, folient.
Quid tantum meruit frater, quem candida vitæ
Simplicitas dignum fecit amore virum?
Quid meruit? sacras lustrare fideliter artes
Cepit & Aonias ex Helicone DEAS.
Non laudem fumosa, leues cupiebat honorem,
Non, quas auripotens Iunio ministrat, opes.

Sortis

Sorte sua diues tenui contentus amictu,
 Quod virtutis erat, duxerat omne suum:
 Pura fides sacris omnino ad-versa Latinis
 Prima illi est rerum maxima visa fuit.
 Hanc nouit coluitq, simul iuuenilibus annis,
 Illa fuit subitis sola medela malis.
 Sed ne commentum fratris de fratre putetur,
 Sint vitæ testes Vrbs, Schola, Tempia, tua.
 Non tamen in-vidiâ mortali à lumine tolli
 Nec tam præcipiti funere dignus eras.
 Hic passim patrijs eiectionibus errant,
 Et faciunt quicquid suadet iniqua Venus.
 Innocuis noctis permisti impune vagantur.
 Quos non ulla sua cura salutis habet.
 Sed viuunt tamen, & nostros prædantur honores,
 Sed genus nostro dignius esse putant.
 Hic Parca exerce bellum, hic tua spicula fige,
 Castibus hic major præda futura tuis.
 Sed queror heu frustra: nil te mortalia tangunt
 Vota, nihil missa sapius ore preces.
 Frater amande vale, nostròq, hæc nomine verba
 Et tua plorantis fata parentis habe.
 Præcedis, nos te cum venerit hora sequemur,
 Disfluri Angelicis carmina missa choris.

ETEOSTICHON.

O Cto bls & qVInos bls MallVS eXtuLLt ortVs
 VenCslac CœLestes te repetente Choros.



EPI-



EPIGRAMMATVM

GEORGII CAROLIDAE PRA-
 GENI, LIBER SECVNDVS.

LECTORI.

Hunc quoq, diversa nictantem fronte libellum
 Si vacat, attrito tegmine, Lector, adi.
 Vile leges carmen, neque magno nomine dignum,
 Ut quod furtiui temporis hora tulit.
 Sed tamen absistas morsu, lege, discute, jacta:
 Si mordere voles, dente remorsus eris.



LA